




S.THOMAS AQUINAS.
Angelicus Ecclesiae Doctor.



DIVUS
THOMAS
 AQUINAS
 MAGNUS JURIS
DOCTOR

Rigidè

Tentatus, Examinatus, Approbatus

^{AC} Confvetâ Panegyri Ejus honori dicatâ

Inauguratus

In Ecclesia Sancti Āegidij Vetero-Pragæ
 Sacri Ordinis Prædicatorum

^A WENCESLAO XAVERIO NEÜMAN
 De Puchholtz J. U. D. & in Alma Cæsarea Regiâque Universitate
 Carolo-Ferdinandeæ Pragenſi Institutionum Imperialium Professore, Regio
 Publico ac Ordinario, Regij Fisci Adjuncto, Venerabilis Archi-Epi-
 scopalis Consistorij Pragenſis, nec non in Regno Bohemiae
 Advocato jurato.

Die 7. Martij, Anno Christi MDCCV.

VETERO-PRAGÆ,

Typis Barbaræ Franciscæ Beringerin Viduæ. Per Matthiam Seiffenhofer.





ORATIO



Quantumvis Divina Justitia Ultrice semper dexterā humanām prosecuta sit ambitionem, nunquam tamen eandem acerbioribus corripuit pœnis, quam tunc, dum Proto - Parentes nostri serpentinā afflati superbiā reconditam in scientia boni & mali Jurisprudentiam deplorandā illā pomī comedatione insanō prorsus ausu sibi acquirere ambiverunt. Nec est, quod miremini DD: AA: unam Juris scientiæ ambitionem tanti genus humanum constitisse ; ut enim paradoxum hoc vobis declarēm, seriem facti ex sacra pagina accipite : Postquam Divina Omnipotētia eam , quam hodiecum miramus , Orbis Universi Urbem creâsset, Universitatem etiam scientiarum , nè quid decoris humanæ deesset Societati , fundare decrevit ; ac primum quidem duas illas Innocentiae statui convenientissimas facultates , Philosophicam nempe & Theologicam , à quibus hodiecum etiam sua novæ Universitates accipiunt exordia , instituit, dum utriusque peritiam , citra omnem quam hodie exartlamus laboris soleriam , Proto-Parentibus nostris altissimum tum adhuc quietis somnum stercentibus infudit ; & quamvis quidem in incorrupta illa mundi ztate nullus adhuc Medicæ facultatis fuerit usus , dum innocens adhuc natura hodiernis

A

mor-

morborum carnificibus needum fuit tradita in Lanenam, liberum tamen adhuc erat in aureo illo saeculo metallorum duritiam liqueare per Chymiam: herbarum calefactivam aut frigefactivam facultatem in graduum censem reducere per botanicam; circulantis sanguinis meatus, ac organicam Corporis structuram investigare per Anatomiā; & nē sua etiam fœmineo sexui desit occupatio, herbas solvere in aquas, & ex floribus ac fructibus bellaria conficere per pharmaceuticam; una denique, una tantum boni & mali scientia feverissimā Divinæ Justitiae sanctione humanae Curiositatē fuit subtracta, in claris illis Divini præcepti verbis Gen: 2. cap. *Ex omni ligno paradisi comedē, de ligno autem scientia boni & mali nē comedas.* Felix sanè Innocentia status, in quo Lex unica extitit præcipiens ignorantiam reliquarum legum, per quas non modò bonum, sed & malum cognoscitur juxta illud Apostoli ad Rom. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem est cognitio peccati,* quid aliud hæc vetita boni ac mali scientia esse potuit, quam legum peritia? & siquidem Jurisprudentia est (b) *Ars æqui ac boni,* utique est etiam ars boni & mali, cum contrariorum eadem sit disciplina; quod ipsum candidè agnovit Juris-Consultus, dum Jurisprudentiam (c) *justi atque injusti* scientiam palam professus est; sed quidquid sit, nitimus in vitudine semper, cupimusque negata, omnisque mali fons est ambitione, vitium muliebri sexui perquam familiare: Vix enim Adamus in nova Orbis Universitate absolverat Grammaticam, (d) *postquam nominibus suis appellavit cuncta animalia,* & ecce nova Coniux nullō datō in humanioribus litteris specimine ad Logicam convolat, pauculusque à serpente exauditis Sophismatibus, nesciens adhuc Legitimum Syllogismorum fidem examinare per (e) *impossibile resistentis* Divini præcepti, exponte decidit Asinino, ac proinde desperata Philosophia

(a) *Panis ad Rom cap. 3.* (b) L. 1 ff. de iust. & jure. (c) L. 10. ff. de iust. & jure. (d) Gen. 2. Cap. (e) *Quæ legibus prohibita censentur impossibilia* L. 15. ff. he condit. & demonst.

Iosopha ad Jura properat, & Doctoratum Juris in scientia boni & mali
 reconditum toto pectore anhelat, jāmque à serpente persuasa pro-
 motionem Doctoralem in facultate Juridica per prandium Doctoralē
 consummari, omissis omnibus alijs promotionis Solennitatibus, bel-
 larium illud ex vetita scientiæ boni & mali arbore decerptum avidis-
 simè manducat, porrectōque Conjugi residuō pomi frustulō eun-
 dem unā secum in infaustum promovet juris Doctorem. O! infe-
 lic prandij Doctoralis præposterioratio! O! misera muliebris promotio!
 Video jam, video, O! infelices Proto-Parentes nostri vos in effectu
 esse Juris Doctores; ut enim exosam legibus contegatis nuditatem,
 ex fico palliolum queritis Doctorale, probè jam ex imbibita aut de-
 vorata potius tam levī negotiō jurisprudentia scientes: cedenti bo-
 nis omnibus (prout & vos cessistis) (f) nihil superesse, nisi vestem
 quotidianam. At quoniam in Jure in Theoria sola non sufficitur, pau-
 lò post neopromoti Doctores omnes processus Judicarij partes, ac
 ferè omnes Juris materias practicè experiuntur; Adebat enim supremus
 Judex Deus, Adamum latitante in proclama citat, comparentem
 super factō interrogat; laudat Adam authorem Eam, Eva serpen-
 tem, sed ex noviter percepta justi atque injusti scientia admonentur,
 (g) mandatum & Consilium alienum in gravioribus delictis non ex-
 cuseare, & ex Consilio doloso Consulentem etiam serpentem obligari;
 fertur dein sententia in Confessos, totam in corpore juris pœnarum
 materiem exauriens, jāmque mediante Executore Angelo, bona,
 quæ Proto-Parentes nostri in paradiſo habuerunt, confiscantur, nè
 quidem ob atrocitatē delicti legitimā liberis relictā; deportantur
 præterea ex paradiſo in terram, & maximam & medium capitis di-
 minutionē, ammisā non modò Civitate æternā, sed etiam libertate,
 patiuntur; servi pœnæ effecti, ad aratrum & metallum, quod ho-
 diedum humano generi dominatur, condemnati; subjugantur etiam

A 2

pœnas

(f) Arg. l. fin. ff. de bonis damnat. (g) L. 3. ff. ad L. Iust. de vi privata
 L. si quis zo. Cod. de servo corrupto.

poenæ mortis naturalis, (& nè quidquam poenaruam superfit) etiam æternæ, tortoribus malignis cum posteritate sua tradendi; ut quid adhuc de verberibus, fragris, eqvuleis & mutilationibns in Jure superest, totum in fontes exerceatur. Sed quid hæc ad tuam Commendationem Magne Juris Docto^r Dive Thoma? an non, dum tam funestos per ambitionem quæsitæ Jurisprudentiæ eventus enarraro, contra propriam domum rostra concendere videor perversus Tullius, qui pro, nunquam contra domum suam peroravit. Sic.
 „est,
 increpationem hanc meritò ferrem, nisi mihi vetus opitularetur axioma: distingue tempora, & combinabis jura. Acta quippe fuerunt hæc in prima nascentis generis humani infantia, (h) cui ætati, legibus etiam bodiernis, ignorantia juris prodest ad excusationem; at ubi in Proto-Parentibus nostris malitia jam semel supplexit atatem, prohibita ante boni & mali scientia versa est in præceptum, adeò, ut leges, ex quibus bonum & malum discernitur, nemini amplius liceat ignorare, sitque hodie Jurisprudentia lumen mentis, Cynosura vitæ, antidotum peccati, semita virtutis, fulcrum Reipublicæ, basis Ecclesiæ, ac denique porta ad temporalem ac æternam deducens gloriam. Macte animo igitur Magne Thoma, expone huic lumini tuam mentem, applica huic Cynosuræ tuam vitam, utere hōc antidotō contra peccatum, amplectere hanc virtutis semitam, nitere hōc falcrō, conjice te in hanc basim, intra per hanc portam ad Doctorales honores, quos dum tibi in eadem facultate Doctor defero (i) Scaphulam ad navim, quæ tamen ejusdem perhibetur esse generis, applica, ut minimum positum juxta maximum magis elucelcat, secura futura Scaphula mea, quam diù navi tuæ adhæserit, gratiarum tuarum vinculis adstricta & alligata.

Antequam ad Doctoratus gradum in facultate Juridica quispiam admittatur, Solerti studiō, ut requisitam sibi acquirat scientiam, necesse est, &

(h) L. 9. §. 1. ff. de juru & falti ignor. (i) L. fin. ff. de fundo instruit.

est, & quamvis quidem (k) *quinquennium Juris Studiosis præscriperit Justinianus*, si tamen industriosa cujuspiam diligentia longum temporis dispendium brevi laboris compendiō prævertat, acquisitæ quomodolibet scientiæ debitus honor nunquam denegatur. Stupeat nunc potius, quām videte spectatissimi DD: AA:, quām prodigiosā solertiæ inventō Dupondius Thomas, adhuc tum in cunis constitutus, (l) *prima legum Cunabula non ab antiquis fabulis*, quas serpens antiquus insigni illō mendaciō : (m) *Eritis sicuti Dij scientes bonum & malum, Eva insuffravit, sed ab ipso Imperiali splendore appetat*, dum totius legis novæ fundamentalem de Verbi Incarnatione legem (Salutationem inquam Angelicam Chartulæ inscriptam) in nutricis ulnis delatus avidissimè deglutivit. Est quippe salutatio Angelica, & in ea comprehensum Incarnationis Mysterium tractatus ille pacis & amnistiae Universalis conclusæ inter Divinam Justitiam & perduelle genus humanum; est adoptio filiorum hominis in filios DEI; est manumissio servorum peccati in libertatem; est restitutio deportatorum in Civitatem æternam; Est tutela generis humani, quod se per imbecillitatem fragilitatis suæ tueri non potest; Est remissio Exhæredationis per plurimas ingratitudinis causas promeritæ; est nova fidelium ad hæreditatem æternam vocatio; Est abolitio pœnarum ob peccatum Originale dictatarum; Est implementum paeti cum Patriarchis initi; Est legis Veteris abrogatio; Est denique totius legis novæ basis ac fundamentum. Neget nunc aliquis, neget Thomam totam devorâsse Jurisprudentiam, dum, quidquid jura docent de legibus antiquis & novis, de patria potestate & adoptionibus, de servitute & manumissione, de Tutelis, de hæreditatibus, Testamentis & Exhæredationibus, de paetis & fœderibus, de pœnis, abolitionibus & restitutionibus, felicissimō Compendiō in unum intrat Ave Maria. Sic nempe *Eva* manducando po-

(k) L. tunica §. 5. de rat. & methodo jur. docendi ad intecessores. (l) Procedimus Infl. §. Cumque 3. (m) Genes. 3. v. 5.

imum acquirit Juris scientiam in perditionem, Thomas verò mandu-
cando Ave nanciscitur eandem in salutem; ubi enim Eva discere de-
sift per peccatum Originale, ibi Thomas incipit discere à damnata per
Ave Maria peccati Originalis memoria; & ita fit, ut Jurisprudentiam
discant boni, discant mali, forte tamen inæquali vitæ vel interitus.
Sed quid tandem operatum est tam substantiale obsonium in Tho-
ma? quid aliud? quām quòd alimentum conversum sit in alitum,
& Thomas totus impletus Mysteriosâ illâ in Ave Maria reconditâ
Jurisprudentiâ post annum duodecimum exemplô Christi sese con-
tulerit in medium Marianorum Juris Doctorum, qui idem illud Ave
Maria, ceu Mysticum juris compendium recitant in Cellis, decan-
tant in Choro, promulgant in Cathedris, explicant in pulpitis, de-
tonant in plateis, ad Sacram, volo dicere, familiam Dominicanam;
in cuius Novitium impubere adhuc ætate receptus rigidum gradu-
Doctorali præmitti solitum subire debuit tentamen & examen; erep-
tus quippe manu militari, dum iter ageret, à fratribus, Religiosam
vitam in Nobili juvne detestantibus, & in paternas ædes delatus,
ante omnia quidem veste Religiosâ, habitu, volo dicere, Doctorali
violentè spoliatur, quasi verò indignus videretur Cappâ Doctorali,
qui necdum rigidum illud tentamen subivit; tribus deinde pro-
tervissimis Examinatoribus, Mundo, Dæmoni ac Carni tentandus
exponitur; taceo hic, quidquid blanditiarum de patria potestate &
debita Parentibus reverentia obijciebatur ex Institutionibus; silentio
prætero, quidquid de honoribus & dignitatibus opponebatur ex
Codice; Oblivioni relinquo, quidquid de acquirendo rerum Do-
minio, possessionibus & hæreditatisibus, in casum desertæ Religionis
allegabatur ex Digestis; Omnia siquidem ista Thomas unicò illò le-
gis Evangelicæ Clypeò elisit, (n) si quis - non odit Patrem & Ma-
trem - non potest meus esse Discipulus. Et si vis esse perfectus,
vade, vende omnia, & seque te me; probè sciens, quòd is, qui

non

non est dignus vocari *Christi discipulus*, utique non sit capax esse *Doctor juris* in Ecclesia; & quod Doctoratus Gradum perfectum in Scientia prærequirat.

Unum tantummodo commemoro omnibus istis & validius & periculosis argumentum, quod perniciosissimus ille Tentator, Spiritus Carnis, Angelus Satanæ, ex Titulo de Concubinis elucubravit; obtrudebat etenim Juvenculo Thomæ Scortum stigis iniquissimum stratagematisbus, tinniebat in auribus ejus Textus ex Leg. i. ff. de Concubinis: *Cujuscunque etatis concubinam habere posse, palam est, mussitabatur, nescio quid ex jure Canonico distinet: 34. Can: Is: Qui ubi insinuari videtur, Libero homini hæc vetitum esse, unam habere concubinam, sed retundebat hæc præprimis Angelicus Doctor, Angelicô illâ dictâ ex Can: Audite distinet: 34. desumpto: audiant Angeli, si vos contemnitis, concubinas vobis habere non licet.* At quia rationibus non cedit pertinax concupiscentiae Spiritus, ad baculum recurrit Thomas, ultimum videlicet contra obstinatos primorum principiorum Obtrexatores Aristotelis argumentum. Et quoniam immundus hic Angelus querulante Apolo ad Corinth: Cap: 12. Athletas sibi oppositos in temptationibus suis colaphizare consuevit, ideoque *verba verbis, verbera verberibus* ex communī Juristarum sententia repellere non dubitavit Thomas, dum emissarium Cacodæmonis substitutum ardentí titione repulit; atque adeo ignes ignibus debellavit; Est etenim Concupiscentia Hydra, cui quot capita decussiferis, totidem succrescunt, nisi Herculeo usus inventâ cicatricem ipsam aduras; & sanè tam bene placuit certamen hoc spectatoribus Angelis, ut non dubitaverit ex hora illa unus eorum Victorem Thomam aureo torque, consuetâ videlicet promotionis Doctoralis insigni condecorare. Nec mihi amplius est, cur Doctori gentium tanta fuerit imposternum cum magno nostro Juris Doctore familiaritas, ut Fratri Paulo

de Aquila visus sit Apostolus Thomæ Explicantis Scholam intrâisse , ac ejus commentaria in suam Epistolam approbâsse ; multos siquidem Colaphos ab Angelo Satanæ passus est Paulus , quos Thomas tam insigni talione vindicavit ; Verum quantumvis Magnus noster Juris Candidatus & Studij & scientiæ juridicæ specimina per rigidum inter domesticos paternarum ædium parietes toleratum tentamen comprobaverit , adhuc tamen de Consuetudine Inclytæ facultatis nostræ superest , ut publica etiam Disputatione super aliqua ex jure materia Doctrinam suam luci publicæ palam faciat ; & certè nec hac in parte deest Doctorali muneri Thomas : Et quidem materia Disputationis affluit ex *Codice Divi Justiniani* , *Titulo de Hereticis & Manicheis* ; locus Disputationis est aula Ludovici Galliarum Regis ; Spectatores , Rex ipse & Aula Francica ; Et quamvis unica tantum proponatur Thesys , est tamen tanti momenti , ut ab ea & Ecclesiæ , & Republicæ salus dependeat , quam post longam tandem divinitus causatam Extasim ponderofis illis verbis , ac plaudentibus manibus profert acerrius defensdens Thomas , *Conclusum est contra Manicheos* ; & nè etiam sine textu loqui , ac ad ruborem propelli videatur Juris-Consultus noster , suffragatur eidem *textus in Leg: 12. Cod: de hereticis & Manicheis* : inquiens ; *Manichei undique expelluntur* ; expelluntor itaque Manichei , & quidquid ejusmodi facis propugnans linguam strinxit in castam Christi Sponsam Ecclesiam ; expelluntor (o) luperapaces venientes induiti pellibus Ovium ; expelluntor (p) fures qui non intrant per ostium , sed per fenestram ; expelluntor , (q) qui predican , cùm misi non sint ; expelluntor (r) Operarij subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi ; expelluntor (s) Magistri mendaces , qui introducunt sectas perditionis ; postquam enim Conclusum est contra Manicheos à Thoma , *Conclusum est etiam juridice*

(o) Matth. Cap. 7. (p) Ioan: 10. (q) Paul: ad Rom. Cap. 10. (r) Paul: Cor. 11. (s) 2. Petri 2.

ridicè in causa, & præclusa via omnibus probationibus, omnium omnino hæreticorum ; reliquit enim nobis noster Neo - Doctor Corpus operum suorum, verè Corpus juris , ex quo omnes putatias legum Divinarum antinomias facile est solvere ; Corpus solidum, cui impacta errorum istorum vasa testacea fragilitate suâ produnt non fuisse, nisi verborum Cortices, quibus infusa plebeculam dementârunt ; Doctor noster Doctor est Angelicus ; Pugnate nunc cum Angelo filij hominum. Pugnavit quondam Jacob cum Angelo & accipiens benedictionem, claudum tamen pedem reportavit ex Angelica hac lucta ; quid autem fiet vobis tenebriones, qui pugnare tentatis cum Angelo in maledictione , quid aliud, quam quod fractis cruribus, errorum nempe vestrorum fulcris, ad pedes ejus procidetis, non surrecturi citius, quam assumpta vera fide dictum vobis fuerit, fides tua te salvum fecit , surge & ambula:

Præstitis itaque omnibus de jure præstandis nil aliud superesse video , quam ut Candidatus noster , ipsum Doctoratus Gradum consequatur ; Est autem Doctoratus Testimonium publicum de consecuta in facultate aliqua insigni Doctrina , tantò dignius , quanto major fuerit , qui Testimonium perhibere non dubitavit.
 (t) Dum CHRISTUS in terris munus obiret Doctoris, Testimonium ei perhibuit Pater æternus ; at dum Thomas Doctoratum assumit , Testimonium ei perhibet Patris æterni filius ; postquam enim Thomas Commendatissimum illum ex jure Canonico Tractatum , de Celebratione Missarum , & transubstantiationis Mysterio , Angelica subtilitate elucubrasset , Testimonium Doctrinæ suæ ex ore ipsius æternæ veritatis audire meruit : Bene scriptisti de me Thoma , quod CHRISTI encomium meritò etiam suis commendationibus prosecuti sunt Sanctissimi ejusdem in terris Vicarij,

B

INNO-

(t) Joan. 5. Cap.

INNOCENTIUS VI. JOANNES XXII. & PIUS V.
 dum non modò Thomam simili cum alijs Ecclesiæ Doctoribus honore & amica commemoratione venerati sunt , sed etiam scripta ejusdem pro Clypeo adversus hæreticos , erothemata pro miraculis , Doctrinam denique pro Cynosura Conciliorum suscepereunt ; taceo hic Parisiensis ac aliarum Universitatum laudes Thomæ attributas , taceo Venerationem à compluribus Sacris Ordinibus delatam , qui in sacri hujus Magistri verba jurare non dubitaverunt.

His itaque & rationibus & Testimonij omni exceptione majoribus convictus ad Sacros pedes tuos me prosterno Dive Thoma , Téque Magnum & prodigiosum Juris Doctorem Submisissime veneror , unam tamen adhuc , antequam actum hodiernæ promotionis Doctoralis compleamus , à te exspecto gratiā , ut videlicet de more facultatis nostræ illud , quō tota hodie quassatur in armis Europa , Problema juridicum resolvias : *Quonam iuri remedio successio Monarchia Hispanica Domui Austriaca promptissimè posse vindicari?* Problema hoc certè tuæ convenientissimum est magnitudini , Magnum enim concernit Leopoldum , tantò minus à te recusandum est , quantò magis tuam etiam afflictam Patriam concernit Regnum Neapolitanum ; nec est , quod metuam , ut in aliam , quam Domus Austriacæ inclines sententiam ; Doctor enim es Evcharisticus , qui Doctoratus tui Testimonium à Christo acceperisti ob Studium Evcharisticum ; Domus Austriaca tota est devotione Evcharistica , quæ culmen etiam Imperiale ab Evcharistica devotionis Studio participavit ; si igitur tu bene scripsisti , quia in devotione Evcharistica scripsisti , bene etiam pugnat Leopoldus , quia Auspicijs pugnat Evcharisticis , neque tantum à te Magne Doctor exspecto , ut quod rectum est , in Problematice nostro doceas , sed id etiam Cælitus adimpleri tuis intercessio-

nibus efficias, tua etenim exigit magnitudo, non modò docere,
sed & facere juxta illud Evangelij: (u) *Qui autem fecerit & do-*
cuerit, magnus vocabitur in Regno Caelorum. Cujus problematis
dum sperata fruemur resolutione, promotioni nostræ consveto
ritu Academico Hymnum superaddemus Ambrosianum:

Te DEUM Laudamus.

(u) Matth. 5. Cap.

Sunt: 15

D I X I.



